



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Quo modo vicissim tractârit Imperator Amphiloichium?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

lens consilium coxit, toti Ecclesiæ profuturum. Paulo enim post facinus dignum memoria fecit; & utiq; alijs quoq; imitandum, si mortales tam facilè pro Christi gloria, quàm pro Principum oblectatiunculis, stulti sustinerent reputari. Quippe occasionem captauit, ut cum alijs Præsulibus in aulam venientibus, & ipse veniret. Ibi, uti mos, & par erat, cum alijs Episcopis Imperatorem quàm decentissimè consalutavit. Recta inde ad filium ipsius, qui admodum nuper ad Imperium lectus fuerat, digressus, cum impolitè atq; inurbanè gestuque subrustico tractare cœpit. Neque enim eadem illi, quæ patri eius, obseruantie honorisque signa exhibuit; sed, tanquam si de vulgo, aut coloni terræ filius esset, ita cum eo, quasi cum puero colloquens, manūque eum, contra omnes leges aulicas, demulcens: *Salve & tu, ô puer*, inquebat. Hæc cum videret Theodosius, senem Amphiloichium ætate desipere existimabat, & utiq; rudior animo, rusticum, nō aulicum, in aula, agere cogitabat. Itaque simplicitatem hominis instruendam censuit, docuitque, quibus cærimonijs filius esset salutandus. Iterum erras, ô Imperator, non tu illum, ille te docebit: tui, non illius mores sunt culpandi.

XII.

Audijt igitur Amphiloichius Imperatorem, instructionemque illius, leui risu, refutans quasi per contumaciam, respondit: sufficere filio eius iam exhibitum à se honorem. Hoc dicto Theodosius ira percitus, & non secus, ac si filius atroci iniuria affectus esset, grauitè commotus, Episcopum delirantem, cum conuicio, abduci iussit. Cithara ut sonet, percutienda est: idem huic Episcopo accidit. Tangebatur iam & satellitum manu ignominiosè foras protrudebatur, cum renidente ac sereno ore cōuersus, consiliūq; in animo occultatum sonantissima voce pferens: *Videsne, ô Imperator*, inquiebat, *quàm tu indignè illam filio tuo iniuriam sèras? Vides, quàm vehemèter & incensè, ob compellationem minus urbanam decentemq;, in me, exardeas? Sic scilicet existimare te oportuit, succensere etiam cælestem Imperatorem & Patrem Virginem, propter eos, qui non communem illi tribuunt honorem, sed dissimilem & longè minorem Patre vocare audent.*

XIII.

Hic vidisses, quid diuina possint. Etenim Imperator, cum inde rem actam intelligeret, & verba illa confidentissimè aptissimèque prolata admiraretur, velut fulmine ictus, ita quàm primū sacerdotem Dei ad se accersuit, atque ad pedes eius cecidit.